Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lateinisch-deutsche Sammelhandschrift des Heinrich Otter - Cod. St. Blasien 77

Schera, Heinrich Otter de

[Italien, Konstanz], [1439-1442]

"Corpora iustorum in die iudicii ad tria resurgunt ..."

urn:nbn:de:bsz:31-51901

Visual Library

separabor a rebus meis et terra laboribus maximis con-
quisitis et dubito si mei successores umquam servi-
ant in ipsa eternaliter. 2º ve quia hodie separabor ab amicis
meis dilectissimis quos relinquo in mundo et dubito
si umquam subveniant in ipsa vita. 3º ve quia hodie
separabor a proprio et certo hospitio et dubito quo hospitium
dure noctis sive in inferno sive in purgatorio vel
saltem in aspectu irati iudicis quia sepissime
peccatis meis ... unde peccatrix anima cla-
mat in die iudicii ve quia hodie reversa sum ad
illud miserum corpus quod me in hanc deduxit miseriam
ve quia hodie separabor a iocunda facie creatoris mei
qui me ad ymaginem suam creavit. ve quia de certo
non habeo aliquam spem ad deum creatorem meum ve
quia hodie auditura sum illam terribilem sententiam
Ite maledicti in ignem eternum etc.
Quinque modis impeditur confessio peccatoris scilicet
pudore timore falsa spe obstinatione desperatione
Primo pudore cum pudet confiteri. Timore qui
timet ut si confitetur puniatur. falsa spe qui timet
ut redeat ad perpetrationem peccati. Obstinatione quia
sic delectabatur in peccato quia non vult penitere. De-
speratione quia desperat de dei misericordia.
Certe multi dicunt stulti Si dyabolus non esset Nemo
dampnaretur. Respondendum Aug. Si dyabolus non
esset qui nos temptaret non esset qui temptaretur
non esset qui pugnaret Si non esset qui pugnaret
non esset qui vinceret. non esset coronandus accipiet
ergo apostolus et sic dyabolus bonis est ad meritum malis
vero ad supplicium etc.
Corpora iustorum in die iudicii ad tria resurgent
ad immortalitatem ut ultra non moriantur. Ad inco-
ruptionem ut de certo nullo careant defectu. Ad corporis
christi configurationem ut honoris plenitudine perfrue-
antur. Si vis regnum dei possidere Primum per-
pende et attende varias passiones ihesu christi pen-
dentis in cruce vide caput eius inclinatum te ad
osculandum. brachia extenta te ad amplexandum
manus aperta tibi ... ad largiendum. latus apertum
te ad diligendum. totius corporis extensionem se tibi

ad impendendum. Prov. Qui clauserit aurem suam ad cla-
morem pauperis ipse clamabit et non exaudietur etc.
Dicitur enim quod milvus primo anno est multum ma-
gnanimus et magnas capit aves. In secundo anno efficitur
pusillanimis et ad capiendos pullos et passeres se con-
vertit. In tercio timidior efficitur ita quod muscas et
vermes sibi querit. In quarto fit tam timidus quod nichil
vivum audet invadere sed ad cadavera bestiarum se convertit.
In quinto fit sic miser quod nichil tangere audet et sic
fame moritur. Sic et sic multi qui primo anno
conversationis opera fortia faciunt. In secundo efficiuntur te-
pidi ita quod vix quia facere valent. In tercio cogitationes
volatiles et immundas recipiunt. In quarto tantummodo
fame se inveniunt et inde tali fame miseri mori-
untur etc.
Nota cor iracundi et peracundi est olla bulliens que se-
cundum quatuor mella facit. Unum quod aqua fervente
extra proicit et circumstantes adurit. Secundum quod ig-
nem extinguit. Tercium quod pinguedinem extra diminuit.
Quartum quod olla illa sepe verba ignita et contumeliosa pro-
icit ex quibus alios inflammat idest scandalum pro-
vocat et ignem etiam caritatis qui erat in illis qui eum
ex caritate arguebant extinguit. Nullus enim
audet eum reprehendere quamquam ipsum sit videre ad
contumelias paratum esse. Sic persone etiam habebant ali-
quam pinguedinem devotionis ut per tota effunditur
per talem furorem nec eius cor sic frangitur ut vix
ad tranquillitatem reintegretur. Contra ergo istam
ollam sic bullientem tria sunt remedia. Unum
est ut ollam ab igne moveamus i. a calore presencia
nos subtrahamus. Prov. x. Honor est homini qui se
separat se a contentionibus. Omnes autem stulti mis-
centur contumeliis. Secundum est ut ligna auferamus
i. verba incentiva subtrahamus. Prov. xxvi. Cum
defecerint ligna extinguetur ignis et susurrone
subtracto iurgia requiescunt. Tercium est ut aquam fri-
gidam apponamus i. verba refrigerativa respon-
deamus. Prov. xv. Responsio mollis frangit iram.
Sermo durus suscitat furorem. Dicit enim ab de